DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

(2

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS QUÆDAM DE HEPATITIDE COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

NIGELLUS MAXWELL,

Scotus,

CHIRURGUS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS.

——— *Intus et in jecore ægro.* PERSIUS.

Die VIII. ante Kal. Julias, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER,

1812.


WELLCOME
LIBRARY

JOANNI BELL,

ARMIGERO,

IN HAC URBE

CHIRURGO CELEBERRIMO ET EXPERTISSIMO,

HAS PAGINAS,

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D. C.QUE

DISCIPULUS.

NECNON,

PATRI SUO CARISSIMO,

JACOBO MAXWELL,

ARMIGERO,

HOC PIETATIS PIGNUS,

SACRUM VULT

FILIUS.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUÆDAM

DE

HEPATITIDE

COMPLECTENS.

PROŒMIUM.

In arte medicâ prorsùs tyroni, et Æsculapii armis parum adhuc versato; statutis vero Academiæ hujusce almæ jure celeberrimæ, morem, ne invitè quidem, ac quâ par est diffidentiâ, gerere cupienti, pauca de Hepatitide scribere, mihi consilium est.

Experientiâ veruntamen propriâ minimè nitens, me de scriptis observationibusque aliorum liberrimè haussise, facilè agnoscam.

Morbus, de quo agitur, formam diversam sanè induit, ideoque plerique nosologi in species duas, Hepatitidêm Acutam et Chronicam, ritè diviserunt.

MORBI DEFINITIONES.

Morbi definitio Celso tradita haud inepta me judice videtur: "*Hepatitis dextra* "*parte sub præcordiis vehemens dolor est,* "*idemque ad latus dextrum et ad jugulum* "*humerumque ejusdem lateris pervenit, non-* "*unquam manus quoque dexter torquetur;* "*horror validus est: ubi male est bile vo-* "*mitur; interdum singultus prope strangu-* "*lat* *."

Sagarus sic hunc morbum definiit: "*Est* "*phlegmasia acuta, cujus symptomata sunt ten-*

---

* De Re Medica, lib. iv, chap. viii.

" *sio dolorifica hypochondrii dextri sub costis* " *spuriis, cum sensu ardoris ac gravitatis, dysp-* " *nœa, tussi sicca, faciei colore flavescente, siti,* ' *anorexia, saepius et singultu, vomitione et tu-* " *moris hepatis; pulsus est subdurus, tensus;* " *urinae icteritiae, biliosae; serum sanguinis* " *missi et crusta subflava: febris quasi semper* " *remittens* *."

Quin et, Sauvagesius in malo definiendo his verbis utitur: " *Dolor, tensio, calor in re-* " *gione hepatis, cum pondere, tussi sicca, re-* " *spiratione difficili* †."

Verumenimvero definitiones Culleni, his aliisque omnibus jure anteferendæ sunt.

Medicus hicce, nosologorum omnium facilè princeps, definitionem speciei morbi acutæ accuratam concinnamque, verbis sequentibus, in medium protulit: " *Pyrexia; hypochondrii* " *dextri tensio, et dolor saepe pungens pleuri-*

---

* Systema Morborum Symptomaticum, class. xi, ord. iii, gen. xiv.

† Genera Morborum, cl. iii, ord. iii, gen. xxiii.

" *tici instar, saepius obtusus; dolor ad clavicu-*
" *lam et summum humeri dextri; decubitus in*
" *sinistrum latus difficilis; dyspnœa; tussis sic-*
" *ca; vomitus; singultus.*"

De specie morbi chronicâ ita loquitur: " *Haec,*" inquit, " *saepe nulla, quibus dignos-*
" *catur, signa praebet; aliquando tamen ean-*
" *dem adesse suspicari potest, ex hepatitidis cau-*
" *sis quibusdam praegressis, ex sensu quodam*
" *plenitudinis et gravitatis in hypochondrio*
" *dextro, ex doloribus plus minusve pungentibus*
" *in eadem parte subinde perceptis, ex dolore*
" *quodam a presso hypochondrio dextro, vel a*
" *decubitu in latus sinistrum sentito, et deni-*
" *que ex pyrexia leviori cum dictis signis subin-*
" *de infestante.*"

---

* Syn. Nos. Meth. cl. i, ord. ii, gen. xvii.

DE SEDE MORBI.

Membranam jecur cingentem in hepatitide acutâ, substantiam veruntamen visceris parenchymatosam in specie morbi longâ inflammatione corripi, sunt qui contendunt.

Membranam sensu acutiore ac parenchyma præditam esse, non inficias ibo; inflammatio attamen ne diutiùs quidem, tunicam jecinoris, me judice, tentabit, prius visceris hujusce quam substantiam, gradu majore minoreve, corripuerit.

Contra autem, substantiam organi hujus internam haud raro inflammatione diutiùs laborare, ante membranam quam mali participem factam esse, nullus equidem dubito.

In specie præterea morbi acutâ, arteriam hepaticam laborare; in specie vero longâ, ramos venæ portarum extremos utpotè affi-

ci, scriptores alii diversi sibi persuasum habent*.

Hypothesi huicce fides minimè, ni fallor, habenda est, propterea quod ob anastomoses inter hæc vasa perplurimas, si quando illa morbus tentaverit, hæc malo unquam immunia fore, vix ac ne vix quidem adducar ut credam.

Hisce et de definitionibus et de morbi sede præpositis, verba de speciei morbi utriusque historiis, facienda sunt.

---

1. *HEPATITIDIS ACUTÆ HISTORIA.*

In regionibus calidioribus, species morbi hæcce, longiùs latiùsque, ac in temperatis frigidioribusve grassatur. Homines igitur, in

* Vide Boerh. Prax. Med. sect. 914; et Van Swieten. Comment. in Boer. Aph. tom. iii. Vide etiam Saunders *on the Liver.*

regionibus tropicis, huicce potissimùm obnoxii sunt. Quibusdam in locis, Indiæ Orientalis præcipuè sævitum est; hacce in Continenti quidem endemicè grassatur.

Europæi, qui vitam in oris Coromandelæ maritimis, vitam degunt, affectionibus jecinoris inflammatoriis, utique proclives sunt.

Hepatitis acuta, anxietate, molestiâ generali, languore horroribusque invadit; aliquando horrores tam leves sunt, ut ægrotus eorum accessionis vix sentire posset.

Calor corporis paulatìm augetur, quibusdamque in exemplis febris non levis per multos dies adest, prius signa morbi quam propria certioraque; sensus videlicet plenitudinis, ponderisque in hypochondrio dextro; ibique loci dolor, plerumque pungens, acutusque, aliquando autem obtusus, ad claviculam et summum humeri dextri porrigens, sese ostendunt *.

* Vide Aretæus "De Causis et Signis Morborum Acutorum," lib. ii, cap. viii.

Quandoque dolor humeri claviculæque sinistrum in dextri lateris vice infestat; aliis autem in casibus, utrumque dolet.

Dolor hicce manu in hypochondrium presso, motuve quovis alio adhibito, multum ingravescit.

Quinetiam, situs quoque corporis erectus, dolorem multum auget; ideoque ægrotus, quo meliùs sese habeat, sive quum staret, sive quum sederet, corpus paulisper inclinat, incurvumque quodammodo tenet.

Æger in latus affectum, dorsumve faciliùs decumbere potest; at molestiâ, doloreque maximè vacat, dum semi-supinus, paululumvè in latus dextrum inclinatus, jacet *.

Arteriarum pulsus et pleni et duri evadunt; aliquando autem intermittunt †: respiratio fit

---

* Decubitum in latus sinistrum ægroto levamini insigni interdum esse Joannes Clark, M. D. nos certiores facit; allevatioque hæcce, illo medico judice, potissimum apparet quandoque pars jecinoris convexa inflammatione tentatur. Vide *Observations on the Diseases which prevail in long voyages to hot countries*, &c. tom. ii. p. 404.

† Edin. *Med. Essays*, tom. ii.

laboriosa, et accelerata. Tussis titillans, levisque, plerumque sicca, interdum autem humida, hepatitide acutâ laborantes, plerumque incommodat.

Nausea, vomitus sæpiùs biliosus, singultusque molestus morbo huicce sese comites frequentissimè præbent. Alvus plerumque constringitur, ægrum attamen diarrhœa biliosa sæpiùs tentat, quæ finem morbi versus potissimùm urget.

Facies tumet; ruberque genis suffusus est; quandoque autem pallida vel flava evadit; vultus quidem intuentibus aspectum admodum mutatum præbet.

Oculi hebescunt, interdumque flavescunt.

Cutis calet, morboque ineunte potissimùm perarescit.

Lingua sicca, crustâ sordidâ obducitur; sapor ingratus et amarus in ore*, siti magnâ eodem tempore urgente.

---

* Vide Essays, ibid. loci.

Urina parca colorisque ruberrimi redditur, sedimentumque multum deponit *.

Æger noctes insomnes inquietasque plerumque agit.

Morbo hoc modo progrediente, ægrotus exercitatione lenissimâ, motuve levissimo diffluit sudore; corpus itaque indiès et macrescit et debilitatur; sudores autem nocturni colliquantesque brevi superveniunt, quibus ægri miserandi vires, aut plerumque aut sempèr penitùs prosternuntur.

Symptomata hæcce pro signis hepatitidis acutæ jure habenda sunt; sed violentiâ numeroque pro parte inflammatione affectâ nonnihil variant.

Si, etenim, superficies organi convexa inflammatione corripitur, æger spiritum longè difficiliùs trahit, tussi, laterisque dextri dolore, pressu multum aucto, ad claviculam, collumque extendente, laborat; tumor necnon externus sæpè in hypochondrio dextro apparet.

---

* Urina ruberrima inter signa hepatitidis acutæ pathognomonica jure habenda est.

Facie autem concavâ tentatâ, dolor et obtusior et profundior, suspiria frequentia, ventriculique atonia, nausea, necnon vomitus, signaque alia, Gastritidis indiciis haud prorsùs aliena, urgent *.

---

* Parte hepatis cava inflammata, Amatus Lusitanus, "aridam et nigram linguam," Bianchus; "flammeam uri-"nam" fuisse; et in quibusdam ægrotis "maculam planè "rubram totum hypochondrium occupasse," testantur. Contra, "urinam aquosam esse et genas iis rubescere, qui-"bus gibbosa pars inflammatur," Sauvagesius nos certiores facit.

Galenus sedem morbi, signis quæ, morbo resolutionem subeunte, sese ostendunt, definire conatus est. "Hepatis, "inquit," gibbæ partes inflammatæ tribus præcipue crisîs "modis obediunt: Hæmorrhagiis e dextra nare atque "sudoribus utilibus, et urinis copiosis; si imæ autem "partes, excrementis alvi biliosis, atque sudoribus, non-"nunquam etiam et vomitibus." De Crisibus, lib. iii, chap. ii.

---

2. *HEPATITIDIS CHRONICÆ HISTORIA.*

Species hæcce morbi, nuperiùs longe ac olim in hac regione usitatior, formam tam diversam induit, signaque tam varia tamque numerosa ostendit, ut diagnosis inter illam affectionesque morbosas alias, summâ cum difficultate, sæpiùs statuenda veniat.

Hinc ratio patet, quare hepatitis longa, nemine suspicante, iterùm iterùmque sese ostendit, stragemque longè latèque edidit.

Malum quidem sedem certam immotamque sibi posuisse, viresque medicinæ summas inanes prius reddidisse, quam signa pathognomonica ulla, aut ægroto ipsi, aut medico etiamsi peritissimo, in conspectum venissent, satìs superque constat; ideoque in historiâ hujusce affectionis tradendâ, iter baculo reverà prætentandum est.

Impetu morbi primo, lassitudine, movendi

fastidio, eructationibus vel acidis vel biliosis, nauseâ, tensioneque epigastrii, æger vexatur; signa hæcce post pastum potissimùm ingravescunt. Hypochondrii dextri dolorem et profundum et obtusum, plenitudinisque ponderisve sensum æger percipit; manu parti affectæ validiùs admotâ, dolor augetur.

Humerus et clavicula ejusdem lateris quoque dolent, (quanquam hoc signum neutiquam semper adest *), brachio necnon dextro torpore aliquando laborante.

Verumenimvero ægrotus hypochondrii, præsertìm nisi manu validiùs prematur, dolorem non semper sentiit, malique sedem, in scrobiculo cordis interdum ponere lubet.

Æger in latus dextrum faciliùs decumbere potest.

Jecur sæpiùs molem auctum manu extrinsecùs pertractare liceat; tumoremque hypochondrii externum oculis discernere possumus.

Ægrotus anorexiâ plerumque laborat, cibus

* Vide Curtis, " *Account of the Coast Diseases of India,*" p. 92.

videlicet malè concoquitur; flatus ventriculum sæpiùs distendunt, dum ructus frequens, signaque concoctionis pravæ alia ingruunt: Appetentia veruntamen cibi sæpiùs admodùm varia evadit, modo quo æger nunc bulimiâ crucietur, nunc alimenta omnia fastidiat*.

Alvus parùm ad normam respondit, fæcesque fœtidæ, colore fusco luteove gaudent. Quinetiam alvus haud raró invicèm et liquatur et supprimitur; morbo progrediente, præcipuè, intestina in motum abnormem utique cientur, tenesmo, torminibusque diris, ægrum miserrimum, eodem tempore, violentissimè exercentibus.

Specie morbi hacce laborantes, haud minùs ac in acutâ, spiritum difficilè trahunt; respiratio videlicet et anxia et citata evadit; morbusque vel penè vel penitùs asthmatis typum aliquando induit.

Tussis plerumque sicca, aliquando vero humida, aliquando etiam rauca, molestissimaque urget.

---

* Vide Girdlestone on Hepatitis; &c.

Pulsus sub morbi initium ferè naturalis; stadiis autem provectioribus, frequens, debilisque evadit; dieque vesperascente, adhuc celerior, febrem hecticam planè denotat.

Lingua sordibus altè obducitur, sitisque accenditur.

Gingivæ præter modum durescunt. Cutis plerumque arescit.

Urinæ parcæ turbidæque color ruberrimus inest.

Ægroti vultus mutationes insignes subit; facies aut pallescit, aut colorem ferrugineum induit. Oculi languidi, hebetesque fiunt; tunicaque adnata eorum vel flavescit vel subfusca evadit.

Abdominis tensio et fluctuatio, pedum œdema, indiciaque hydropis alia, huicce morbo sæpissimè superveniunt.

Corpus multum marcet; morboque progrediente, omnia in pejus ruunt; spirandi difficultas, vomitus, singultusque ægrum opprimunt; arteriæ frequentissimè et debilissimè micant. In hoc statu rerum febris hectica intensiùs

urget; signa scilicet vespere admodùm exacerbantur; sudores nocturni vires sternunt; dejectionesque mucosæ, fœtidæ, tenesmus, et tormina, ægrotum miserandum prorsùs obruunt.

Morbo hocce correpti, somno placido aut rarò aut nunquam fruuntur; noctes vigilantur amaræ; siquando ægri sese somno dant, soporem brevem solummodò carpunt, somniisque diris perterriti, subitò expergiscuntur.

Tristes animumque dejecti, hepatitide chronicâ laborantes, ab exercitatione qualicunque, prorsùs abhorrent; solitudinem avidè quærunt; conditionisque suæ metu perculsi, spem salutis restituendæ omninò abjiciunt.

Verumenimvero signis compluribus supra memoratis, hepatitide longâ ægrotus, interdum vacat, ac anorexiâ, viribus prostratis, corporisque macie, sub initio laborans; morbi finem versus, febre hecticâ alvique dejectionibus putridis correptus, heparque in culpâ neutiquam deponens, e medio excedit.

MORBI TERMINATIONES.

HEPATITIS aut in resolutionem, aut in suppurationem, rariùs vero in gangrænam abit. Quin et, inter morbi nostri fines schirrus habeatur, oportet.

De terminationibus hisce diversis ordine disserendum est.

Resolutio.—Siquando dolor, tumor, hypochondriique tensio, gradatìm cessaverint, pulsusque ad statum naturalem redierit, nitore faciei etiam revertente, terminationem hancce, votis omnibus exoptandam, sperare liceat.

Exinanitiones variæ, hæmorrhagiæ, nimirum, vel e naribus vel e vasis hæmorrhoidalibus; diarrhœa lenis biliosa; sudores mites focillantesque, per totum corpus diffusi; urina sedimentum abundans demittens; secretiove a bronchiis profusa, resolutioni comites sese sæpiùs præbent.

Rebus ita se habentibus, siquando fluxuum horum unus alterve nobis ante oculos versatur, æger adhuc certiùs in bonâ spe est.

Suppuratio.—Hepatitis acuta in suppurationem sæpiùs abit, terminatioque hæcce, morbo et diutiùs et violentiùs insidente, sanè pertimiscenda est. Siquando dolor subito sese remiserit, micansve evaserit, dum pulsus arteriarum et pleniores et molliores fiunt, horroresque vagi inordinatique, calore per vices subeunte, excitantur.

His ita præmissis, si ponderis, fluctuationisque sensus, potiùs ac doloris et tensionis, in jecinoris regione percipitur, de abscessu in viscere formato minùs dubitandum est: febris hectica, cum diarrhœâ, sudoribusque nocturnis colliquantibus, consociata, nunc ingruit.

In hac inclinatione rerum, alimentorum concoctione, corporisque viribus penitùs suffosis, æger miserandus, meliora forsitàn sperans, fato ineluctabili, nisi Deus intersit, pedetentìm cedit.

Verumenimvero secundum jecoris partem

cui malum insidet, pus faciliùs difficiliùsve detegere, medicum penes est.

Abscessu videlicet partem visceris anteriorem convexamve occupante, tumorem fluctuationemque haud ægrè plerumque sentire potest.

Quin et, si pus in parte hepatis gibbâ domicilium habeat, fluido septo transverso eroso, vel in cavitatem thoracis *, vel in substantiam pulmonum copiosè effunditur, ideoque mortis subitæ prodromus fit, aut parciùs effusum, per tracheam tussiendo expuitur †.

Sin autem pus in parte hepatis concavâ sedem habeat, ductibus biliariis erosis, in ductum hepaticum, posteàque in duodenum facilè defertur, jecinoreve aut ventriculo aut

---

* Vide Morgagni, Epist. xxxvi.

† Exemplum hujusmodi relatu dignum Lieutaudus literis mandavit, in quo sex octove libræ puris subitò expectoratæ fuere.

Aliquando bilis et jecinoris substantia expuuntur. Vide Curtis, ut supra, p. 198; et quoque historiam Monro *jun.* relatam in *Edin. Med. et Surg. Journal*, tom. i; etiamque Clarke, ut supra, p. 406.

huic intestino, aut etiam colo adhærente, in hæc cava promptiùs transit, exindèque per vomitum, diarrhœamque purulentam egressum sibi præbet *.

Quinetiam pus e vomicâ haud raró erumpit, rebusque ita se habentibus, parteque necnon affectâ partibus vicinis parùm conglutinatâ, in cavitatem abdominis protinùs effunditur, mortique præsenti ansas præbet.

Cohæsione, veruntamen, cum peritonæo musculos abdominales investiente, factâ, pus hosce erodit, aditumque sibi externum aperit.

Verumenimvero aliis in exemplis, suppuratio signis vel nullis vel dubiis sese prodit, aut lentè et insidiosè prorepit; in exemplis hujusmodi, cadaveribus incisis, abscessus aliaque suppurationis indicia satis manifesta, ægroto superstite parùm suspecta, medico ante oculos sæpiùs versantur †.

---

* Morgag. loco supra citato; vide etiam Lind. *Diseases of Europeans in Hot Climates*, p. 96.

† Clarke, ut supra, p. 404.

Schirrus.—Schirrus inter hepatitidos fines jure habendus est : Doloris remissio cessatiove, sensu plenitudinis aut molestiæ in jecoris regione adhuc perstante, facies vel squalido vel ferrugineo colore sese induens, duritia intumescentiaque visceris tactu percipiendæ, terminationem hancce nobis denotant.

Jecur attamen schirrosum molem multò minùs ac sanum sæpiùs evadit *. In hoc statu rerum, tumore deficiente, signisque schirri propriis aliis vel obscuris vel neutiquam observandis, visceris statum difficillimè, ac sæpiùs non nisi cadaveris sectione, cognoscere possumus.

Schirrus veruntamen hepatitidem chronicam sæpiùs ac acutam subsequitur; etiamque visceris hujusce durities per annos complures, ægroto incommodum aut parvum aut nullum interdum sustinente, adest: sæpiùs autem ictero pessimi generis aut hydropi insanabili viam sternit.

---

* Baillie's Morbid Anatomy.

Gangræna.—Partes parenchymatosæ inflammatione correptæ, suppurationi potissimùm procliviores sunt; eâ de causâ, gangræna rarissimè hepatitidi supervenit. Sin autem unquam gangræna sphacelusve viscus hocce infestet, dolor subitò cessans, prostratio virium summa, pulsus parvus, tremulus, intermittensque, artusque frigidi, finis hujusce indicia satis superque fida, certò certiùs evadent.

CADAVERUM SECTIO.

Cadaveribus hepatitide sublatorum ritè exploratis, phænomena morbida multa, in conspectum sanè veniunt; eâque de causâ, morbi et de natura et sede, saltemve de effectibus ejus diris, nos certiores faciunt. Pauca igitur de signis morbosis, quæ cadaveribus incisis oculis sæpiùs obversata sunt, in lucem

hìc loci proferamus, et lubet et quidem oportet.

Hepatis superficies, convexa potissimum, vasis sanguineis minutissimis quasi conferta sæpiùs apparet; sæpiùs vero lymphæ exsudatæ interventu, cum partibus vicinis conglutinata invenitur.

Viscus magnitudinem admodùm variat; aliquandò multum molem adauctum, et quasi totum abdominis cavum occupans, aliquandò vero naturali statu multò minùs repertum est.

Aliis in casibus hepar multò mollius, in aliis durius, ac in sano statu evàdit; coloremque necnon admodùm varium induit.

Jecinore hepatitide sublati secto, et tubercula, et etiam cystæ, materie gelatinosâ vel calculosâ plenæ, anatomico ante oculos haud rarò versantur *.

Puris collectiones in cadavere scrutando sæpissimè occurrunt; fluidoque hocce aliquando uberiùs cumulato, jecur puris sacci

* Baillie, ut supra.

speciem præ se omnino fert: aliis veruntamen in exemplis, pus abscessus varios disjunctos format. Historiam hujusmodi memoratu dignissimam, literis, in libro "*Edinburgh Medical Essays*" dicto, mandatam, invenimus.

Cadavere morbo nostro mortui scrutato, abscessus in jecinore tres, unus scilicet in parte lobi dextri convexâ, alter ad marginem ejus inferiorem, tertiusque prope vesicam felleam, in lucem prodiere. Hi abscessus puris copiam insignem in abdominis cavum effuderunt; tunica necnon visceris externa, quibusdam in locis solito et tenerior et crassior erat, et etiam albescens; in aliis vero signa inflammationis satis manifesta præbuit. Quin et, ventriculum, colonque inflammatione laborasse clarè patebat*.

Ventriculo præterea intestinisve erosis, in cava hacce pus iter sibi haud raro facit. In

---

* Ed. *Med. Essays*, tom. ii, art. 92.

cavitatem abdominis effusum sæpiùs necnon reperitur.

Hoffmanus eruditus, expertusque, de hac re disserens, verbis ex alio auctore citatis, apud paginæ calcem legendis, utitur *.

Verumenimverò, quibusdam aliis in exemplis, superficies jecinoris anatomico inspectanti sana obversatur; lobus autem dexter, plus justo levatus, diaphragmati arcti agglutinatus est, partem agglutinatam circum, abscessus liquore purulento plenus in conspectum venit: abscessus hicce, itinere sibi per septum transversum erosum facto, pulmones petebat. Quin et, pulmo dexter diaphragmati adhærescens conspi-

* "Cadavere aperto, in tota ventris cavitate reperta "est ingens copia puris, peritonæum quoque disruptum et "putridum conspiciebatur, hepar durum ingentis magnitu-"dinis albicans circa stomachum, sed in gibbâ sive parte "prope costas spurias nigrum, exustum, et gangrænâ infec-"tum; in hepate autem multum conspiciebatur pus. Præ-"cipua autem hepatis corruptio erat in parte dextra ver-"sus costas spurias et musculos intercostales, qui etiam "cum costis spuriis nigredinem contraxerant instar car-"bonis, et facillimè frangi poterant." Opera omnia, edit. 1740.

ciebatur; transitumque ex hepate in pulmonum substantiam pollices quosdam extendit *.

CAUSÆ.

CAUSA PROXIMA.

In causa hepatitidis proxima statuenda, causa inflammationis generalis proxima consideranda venit. Si de hac re autem fusiùs ritèque loquerer, longè latèque ultra limites vagarer, propterea quod, theorias diversas in lucem prolatas, perpensas exploratasque habeam, oportet: ideoque ex his theoriis diversis præcipuis totidèm verbis statuere liceat.

Auctores quidam, inflammationem lentori sanguinis morboso vasa minuta obstruenti at-

* Vide Dissertatio Inaug. Med. "De Hepatitide." Edin. 1790, Auctore H. Maclean.

tribuerunt: Alii errorem loci, partes nimirum sanguinis crassiores in vasa pro transmissione eorum nimis arcta impactas, in crimine posuere: Alii vero spasmum vasorum capillarium extremorum vituperavere: Dum alii actionem vasorum partis affectæ auctam p ro causa inflammationis proxima habendam esse contendunt: Aliis deniquè judicibus, causa inflammationis proxima in vasorum capillarium distentione, atque debilitate, jurè habenda est.

Utram, vero, theoriarum harum cæteris anteferendam esse, peritiores judicent;

"*Non nostrum tantas componere lites.*"

CAUSÆ REMOTÆ.

Praedisponentes.—De causis prædisponentibus haud paucis, et in hoc, et in aliis morbis, in caligine alta quidem versamur; verume-

nimverò quibuscunque ex rebus, homines, affectionibus inflammatoriis aliis obnoxii fiunt, iis gradu majore minoreve agentibus, ad hepatitida procliviores redduntur.

Homines ineunte ætate, pubertatem scilicet parùm adepta, fœminasque, morbo hocce rariùs corripi observare liceat*.

Hepatitiden homines in regionibus calidis, sæpiùs ac in frigidis temperatisve infestare supra ostendi: quinetiam, hisce in regionibus, inter tempora fervidiora morbus frequentiùs grassatur.

Regionum attamen tropicarum omnium incolas, morbo de quo nunc agitur, neutiquàm æquè plecti, observandum est.

Terræ Indiæ Orientalis continentis limitibus fere circumscriptus est, nec in America sive Septentrionali, sive Æquinoctiali, nec in parte Indiæ Occidentalis ulla, hic morbus unquàm endemicè gassatur; etiamsi hisce in regionibus, ratio victûs, calor externus, corporis sub

---

* Vide Girdlestone, ut supra.

divo defatigatio, cœlum, resque aliæ, quæ Europæos morbo obnoxios reddere possint, æquè ac in India Orientali valent *.

Quicunque, hisce in plagis temperamento sanguineo, ætatis vigore, roboreque corporis firmo gaudent, in hunc morbum incidere potissimùm obnoxii sunt.

Homines qui e regionibus frigidis, in calidas nuperiùs migrârunt, hepatitidi obnoxiores, ac indigenæ vivunt.

Quin et, illi qui vitam sub sole fervente diutiùs egerunt, in morbum huncce promptiùs ruunt.

Carni præsertìm pingui, cibariis conditioribus, liquoribusque ardentibus nimìs dediti, malo nostro sæpiùs tentantur.

---

* "It is a remarkable thing, that in the East Indies "under the same latitudes nearly as Jamaica, that is at "Madras and Bombay, the disease known in those coun-"tries by the name of Liver or Hepatitis, should be the "most prevailing disorder among Europeans, and that the "same should not be known in the Island of Jamaica." Hunter *On the Diseases of the Army in Jamaica.* Vide quoque Saunders *On the Structure, Economy, and Diseases of the Liver*, App. p. 13. 4th edit.

Porrò, quicunque hisce in plagis, liquores spirituosos quotidiè sorbent, etiamsi ebrietati parùm indulgent, ad hunc morbum procliviores sunt *.

Quinetiam, hisce in regionibus, animalia alia jecoris malo laborâsse, sunt qui contendunt; multosque canes Anglicos in Indiam transvectos, hoc morbo tentari morique, auctores quidam nos certiores faciunt †.

Excitantes.—Multiplices, diversæque causæ, ad hunc morbum excitandum facilè conferunt. Inter has, sequentes enumerare lubet.

---

* "The dram and purl drinker may sooner experience those evils," (scilicet schirrus viscerum abdominalium, sed præcipuè jecoris), " than other drunkards; but even the " guzzler of small beer has no security against them. " Nay, so sure and uniform is this effect of producing dis- " eased bowels, by fermented liquors, that in distilleries " and breweries, where hogs and poultry are fed on the " sediments of barrels, their livers and other viscera are " observed to be enlarged and hardened, like those of the " human body; and were these animals not killed at a cer- " tain period, their flesh would be unfit to eat, and their " bodies become emaciated." Trotter's *Essay on Drunkenness*, p. 114.

† Maclean, ut supra.

Calor et frigus per vices corpori admota; frigusve cum humiditate conjunctum, corpori calefacto adhibitum.

Corpora humana, vicibus caloris frigorisque alternis subjecta, in morbos incidere prona esse, satìs supèrque constat; corpus etenim calori diutiùs expositum, et debilitatum et relaxatum fit; frigus autem corpori in hoc statu adhibitum, superficiem et meatus cuticulares constringit, eaque de causa, transpirationem insensibilem sanitati magnoperè inservientem, anteà plus justo forsitàn auctam, subitò et impedit et reprimit. In hoc statu rerum, sanguis, justo copiosiùs, partes internas petit. Quinetiam, de consensu inter superficiem partesque corporis internas insigni, vel pauci vel nemo dubitant; hæ scilicet malè se habentes, illi damnum facilè inferunt; illa autem vitio laborans, his promptiùs nocet.

Hinc causa quidem in aprico est, quare, homines mutationibus cœli subitis expositi, in morbos incidere admodùm proclives evadunt; scriptoresque medici, phlegmasias, hepatiti-

den potissimùm, in regionibus quibus dies et noctes gradu caloris multum variant, longiùs, latiùsque, sæpiùs grassari, ac in aliis, quæ gradu caloris, ne inferiore quidem, at magìs sibi constante, gaudent, uno ore, ni fallor, consentiunt *.

Ventriculus plus justo tumens.—Stomachus cibo distentus, ideoquè hepar ipsum et ductum hepaticum malè premens, morbo huicce ansas facilè præbet.

Intemperantia in liquorum spirituosorum usu.—Intemperantia et corpus ad malum proclive reddit, et malum ipsum, in corpore prædisposito, facilè excitat : vinum et liquores spirituosi effectus in hepar peculiares edunt; bilis secretionem prorsùs perturbant, fluidi secreti et dotes inficiunt, et cursum impediunt, modo quo, ad munera in œconomiâ animali propria fungenda, penitùs ineptum reddatur.

Hinc ratio patet, quare cadaveribus temu-

* Maclean, ut supra.

lentorum incisis, jecur præter modum durum et contractum, anatomici oculis plerumquè obversatur; cum peritonæo sæpissimè conglutinatur; texturâ granulatâ frequentiùs gaudet; coloremque subalbidum induit; nodosum et tuberculatum est, substantiaque ejus scalpello haud raró obstat.

Animi affectus.—Quæcunque animum aut perturbant, aut excitant, aut deprimunt, ea corpus mirum in modum frequentissimè afficiunt. Animus etenim corpus regit, ideoque sivedepressus, sive plus justo excitatus, effectus proprios in corporis organa diversa secernentia atque excernentia edit.

Febres regionum calidarum, sive remittentes, sive intermittentes.—Hepatitis hos morbos aut ab initio sæpè comitatur, aut iis sæpiùs supervenit. Febres etenim hujusmodi impetum in corpus facientes, et motus abnormes in eo cient, et vires admodùm frangunt. Rebus ita sese habentibus, organa secernentia in mali partem facilè veniunt; succique proprii, nunc abundantiùs nunc parciùs secreti, dotibusque

vitiati, vasa aut viscus glandulosum totum præter modum stimulant*.

Quin et, scriptores medici *injurias parti illatas; cranii fracturas; hepatis tubercula; calculos biliarios in ductibus impactos; bilisque in duodenum descensum impedientes; multaque alia, pro causis morbi hujusce excitantibus habent.*

Sequitur pars hujusce tentaminis, quâ de ratione signorum nobis inquirendum est.

SYMPTOMATUM QUORUNDAM RATIO.

Dolor tensioque in hypochondrio dextro.— Partem hepatis large majorem lobem videlicet dextrum in hypochondrio situm habere omnibus liquet; parsque ibi sita multo frequentiùs ac illa quæ in epigastrium extendit inflammationecorripitur, id eoque dolor tensio

---

* Vide Thomas Clark's *Obs. on Fevers, &c.*

que inflammationis signa propria hìc loci sese ostendant oportet *.

Decubitus in latus sinistrum difficilis.—Inflammatio ligamenta, quæ jecur sustinent, sanè corripit; ægroto vero lateri sinistro incumbente, hæc tenduntur, ideoquè, in hoc corporis situ, dolor acutus sentitur.

Dolor ad claviculam et summum humeri dextri.—De signi hujusce ratione, medicis inter se parùm quidem convenit, et adhùc, ni fallor, sub judice lis est. Quidam dolorem consensui inter has partes, interventu nervorum phrenicorum cervicaliumque, ascribunt. Dolor videlicet, his judicibus, præcipuè urget, quandoque pars visceris diaphragmati contigua laborat; hoc etenim in statu rerum, ni falluntur, dolor irritatioque ope nervorum phrenis ad humerum pertingunt. Alii autem culpam ad membranarum distensionem, inflam-

* Medicus quidam Gallicus, Ferreinius nimirum, lobum hepatis minorem morbo sæpiùs tentatum esse, contendit. *Histoire de l'Acad. Roy. des Scienc.* an. 1766, 7, 8.

mationemque mediastino scilicet extenso ad humerum dextrum percurrentem, rectiùs, me judice, conferunt.

Dyspnœa, tussis, singultusque.—Signa hæcce, parte jecinoris superiore inflammatione correptâ, maximè urgent; propterea quod, septum transversum in mali partem tunc forsitàn venit. Quin et, septum hocce, inter spiritum trahendum, hepar ægrè comprimit; inter spiritum vero emittendum, septum sublimatum viscus ligamentaque adnectentia, molestè distendit, motuque diaphragmatis quoque, ob molem hepatis adauctam, eodem tempore impedito.

Ea de causa respiratio brevis evadit, ægrotusque suffocationis sensu afficitur *.

* "Cum hepar," inquit Van Swietenius, "etiam accipiat "arteriosos ramos ex diaphragmate et ex ligamento sus-"pensorio, per quod diaphragmati nectitur, sæpe et illæ "partes vicinæ inflammantur similiter, et dolorem inter re-"spirandum moto diaphragmate faciunt; qui, tanquam "signum diagnosticum præcipuum inflammati hepatis, in "parte gibba, a Galeno ponebatur." In Aphor. Boerh. Comment.

Quod ad tussim quidem pertinet, pulmones ob situm eorum, mali partem facilè ferre possunt; quicquid autem hæcce irritat, tussim concitat.

Singultus a diaphragmate irritato convulsoque sempèr pendet; hìnc causa in promptu est, cur morbo superficiem hepatis inferiorem insidente, inflammatio irritatioque diaphragmati impertitæ, spasmum huncce abnormem facilè moveant.

Vomitus, aliæque ventriculi affectiones.—Signa hæcce aut consensum inter partes vicinas generalem, pro causâ agnoscunt, aut potiùs parte hepatis convexâ morbo tentatâ, ventriculus fit mali particeps, symptomataque Gastritidis propria promptiùs occurrunt *.

Color et faciei et oculorum flavus.—Scriptores medici haud pauci cutis flavedinem in-

* "Actio viscerum," ut medicus idem expertissimus auctor est, "chylopoeticorum turbata, ob impeditum liberum transitum sanguinis per extrema venæ portarum, et nauseam et vomitum et situm vehementem creare potest." Van Swieten, Comment. in Aphor. Boerhaavi, ut supra.

ter signa hepatitidis pathognomonica sanè habent. Cutem, hunc colorem, in hepatis inflammationibus, quæ febres regionum calidarum comitantur, sæpiùs induere, nemo est qui dubitet *. In hepatitide vero idiopathicâ, cutis flavedinem, nobis ante oculos rariùs versari, mihi persuasum est.

Sin autem icteri signa unquàm sese ostendant, aut inflammationem hepatis concavi ductus biliarios corripentem, aut tumorem diutiùs eosdem comprimentem, exitumque bilis in duodenum impedientem, adducor ut vituperem.

Hisce de ratione signorum præpositis, verba de diagnosi pauca facere lubet.

---

* Cadaveribus, febre, dysenteriaque in India endemicè grassantibus incisis, jecora morbis tentata aut plerumque aut semper in conspectum veniunt: in exemplis haud paucis, viscera hæcce schirro prorsùs infestantur; aliis autem in casibus, abscessus, signaque hepatitidos solita sese ostendunt. Quinetiam, hisce in plagis, hepatitis morborum ferè omnium qui endemicè grassantur, typum induit; ægrotoque aut diarrhœâ, aut febre remittente, aut ictero, aut morbis multis aliis, tentato, fons malorum in hepate petenda est. Vide Saunders, ut supra, Append. Vide etiam Clarke et Curtis, ut supra.

DIAGNOSIS.

Inter hepatitiden morbosque sequentes diagnosin sedulò statuamus, oportet.

Pneumonia.—Hepatitis speciem pneumoniæ præ se sæpiùs fert, propterque similitudinem hancce, medicos callentes haud raro fallit.

Hi vero morbi aliquandò inter se conjungi, manusque sibi mutuò porrigere videntur. In hoc statu rerum, uter morbus idiopathicus, uter symptomaticus habendus, dictu sæpiùs difficillimum est.

Quandocunque veruntamen impetum seorsìm faciunt, plerisque in exemplis, faciliùs dijudicantur.

In pneumoniâ, dolor inter inspirandum multo magìs ac in hepatitide augetur : In hepatitide, hypochondrio dextro digito presso, dolor ingravescit, contrà vero in pneumoniâ : illâ laborans, lateri sinistro incumbere nequit ; hâc

vero tentatus, lateri sano faciliùs, lateri affecto difficiliùs, incubare potest.

Etiamque in pneumonia, dolor ab uno ad alterum latus interdùm subitò migrat; in hepatitide vero firmè insidet, ac sæpissimè ad claviculam et summum humeri dextri ascendit, (quod pneumoniâ perrarò accidit). Tussim in jecinoris inflammatione siccam, in pneumoniâ autem, tempore morbi quodam, humidam, cum sputo copiosiore, interdumque sanguine mistam urgere, insuper observandum est.

Color faciei quoque proprius, in hepatitide laborantibus, ad morbum nostrum a pneumonia dignoscendum haud parùm valebit.

Gastritis.—Gastritide vel Hepatitide laborantes, vomitu, nauseâ, singultuque, aut sæpiùs aut sempèr opprimuntur, idoequè inter hos morbos diagnosis difficiliùs statuenda est.

In epigastrio veruntamen, dolor urens pungensque, vires admodùm prostratæ, pulsus typhodes, frequens, videlicet, parvus, contractusque, vomitus singultusque et frequentio-

res et violentiores, dolor ad humerum haud ascendens, Gastritidem ab jecinoris inflammatione, plerisque in exemplis, facilè discriminant.

Enteritis et Colica.—In Enteritide dolor circa umbilicum torquet, pulsusque typhodes evadit; in Colicâ vero, febris nulla sese ostendit: Quin et, his in utrisque morbis dolor humeri claviculæque neutiquam urget; ideoquè de diagnosi inter has affectiones morbosas, Hepatitidenque, scrupulus fere nullus in medici animum injici potest.

Rheumatismus.—A Rheumatismo musculorum superincumbentium, inflammatio hepatis facilè distinguenda est, propterea quod, in illo dolor, rubor, aliquandò etiam tumor, musculorum cursum sequuntur, et cum artuum doloribus sæpè alternantur, musculique ob dolorem, motum quemlibet, prorsùs fugiunt.

Quinetiam nec tussim, nec vomitum, nec singultum, adesse, insuper observandum est.

Phthisis.—Quibusdam in casibus, morbus noster phthisîs pulmonum typum quodammo-

do induit. Color attamen faciei, Hepatitidi proprius, dolorque hypochondrii dextri humerique phthisicos parùm tentant. Quin et, in Phthisi, sudores nocturni signaque hecticæ alia, aut sempèr aut plerumquè infestant; in Hepatitide vero, usquè ad stadia morbi provectiora, cutis arida manet. Lingua præterea phthisico præter modum nitida est; Hepatitide autem invadente, crustâ sordidâ obducitur.

Morbis hisce diversis correptis, mentis conditionem longe diversam inesse, animum videlicet Phthisi laboranti ad supremum usque diem spe erectum; Hepatitide vero ægrotanti, spe destitutum, insupèr notandum est.

Dyspepsia.—Haud paucis in exemplis, medici solertissimi sæpiùs in ambiguo sunt, an Dyspepsiæ signa, ab hepatis affectione, necne pendeant?

In Hepatitide acutâ, diagnosis satìs facilè statuenda est; quod dolor hypochondrii ad claviculam extendens, plerisque in casibus, urget. In Hepatitide autem longâ, ægrotus ventriculum pro sede doloris sæpiùs perperàm

habet; dolorque, ructu, flatuumque expulsione, mitigationem haud rarò subit.

Verumenimvero, hisce in casibus, si hepar laboret, cordis scrobiculo et regione epigastrii manu pressis, dolor augetur, et ad hypochondrium dextrum lancinat; morboque progrediente, pulsus frequens, calor auctus, signaque pyrexiæ vesperè potissimùm sese ostendunt.

Etiamque si sanguis detrahatur, ægro succurritur; sanguis missus, phlegmasiarum aliarum instar, tunicam coriaceam sæpiùs induit *.

Quin et, in diagnosi statuendâ, faciei colorem squalidum, ferrugineumve, Hepatitidem longam sæpiùs comitantem, medicus consideret, oportet.

Hisce de diagnosi propositis, sequitur, ut notas explicem, quæ vel spem, vel periculum in hoc morbo ostendunt.

---

* Saunders *On the Liver, &c.* p. 274.

PROGNOSIS.

In Hepatitide acutâ, remediis ritè maturèque, primis scilicet morbi diebus, adhibitis, de ægro benè sperare licet; eòque magis si remediis hisce in auxilium vocatis, dolores gradatìm sese remiserint; arteriæ ad naturam micare cœperint; nausea, vomitus, singultus, signaque alia graviora, aut minuerint, aut prorsùs desierint: si denique una, alterave harum exinanitionum supervenerint, quas morbum resolutum denotare supra ostendimus, æger in portu sane navigat.

Sin autem morbus processerit, signaque dies complures, vi non diminutâ, sævierint, visceraque contigua sub imperium subjunguntur, eoque modo malorum congeries coacervatur, quæ arti Apollinari sæpiùs illudunt.

Quinetiam, siquando ponderis et sensus fluctuationis in hepate percipiuntur, sudoribus

nocturnis, signisque febris hecticæ aliis, eodem tempore, urgentibus, periculum summum, ob suppurationem ægro capiti sanè imminet.

Verumenimverò quandoquè morbus, medicamentis aut incassum adhibitis, aut in usum parùm omninò vocatis, diutiùs perstat, dolorque etiamsi mitior permanet, corpus, febre hecticâ accedente, indiès marcet, cibi appetitus indiès deficit, viresque prosternuntur, suppuratio nunquàm non periculo plena extimescenda est.

Quin et, in Hepatitide acutâ in Indiâ Orientali endemicè grassante, proclivitatem ad suppurationem summam adesse, ex consensu omnium, qui medicinam ibi fecêre, discimus; ideoque nisi morbo in limine succurritur, proclivitati huicce obstare, vix, ac ne vix quidem, medicum penes erit.

Suppuratione factâ, pus in pulmones, ventriculumve delatum, eventum minimè felicem prædicit: in thoracis, abdominisve cavitatem effusum, mortem, passibus haud lentis

instare, certò certiùs præsagit; dejectionesque alvinas cum pure mistas, malum ægroto prænunciare insuper observandum est.

Prognosis in specie morbi chronicâ, ab ægroti viribus, vivendi ratione priori, morbique statu multum pendet.

Siquando morbus de quo tractatur, speciem vetustam sibi induens, juniores, robustioresque, intemperantiæque qualicunque ne multum quidem deditos, tentaverit; hisque morbo implicitis, in regiones frigidiores migrare licuerit: si morbo parùm adhùc diutiùs infestante, ad remedia idonea ritè decursum fuerit, iisque adhibitis, hepatis tensio, duritiaque e conspectu gradatìm effugerint; si color proprius faciei redierit, steteritque, signaque alia mitigationem subierint, de ægrotis benè ominari licet.

Sin autem in vires fractos, habitumque corporis infirmiores, morbus impetum fecerit, liquorumque spirituosorum usus nimius, viam ei straverit; ægrotique hisce liquoribus, morbo non obstante, propensiùs indul-

serint; si etiam remediis in usum adhibitis, corpus macie extenuatum evaserit, summa debilitas sese ostenderit, symptomataque omnia increverint, ægroti quidem in ancipite sunt.

Sudores denique nocturni, dejectiones liquidæ, fœtidæ, olentes, pervigilium, anxietas, corporisque inquietudo, Hepatitidi Chronicâ laborantibus periculum summum certò certiùs portendunt.

Cognitis indiciis, quæ nos vel spe consolentùr, vel metu terreant, ad curationem Hepatitidis transeundum est.

MEDENDI RATIO.

In specie morbi hujusce acutâ medendâ, proclivitati visceris ad suppurationem summæ sedulò obviàm eundum est, ideoque causâ morbum quamprimùm resolvendi, ad regimen antiphlogisticum ritè maturèque confugiat,

medicus oportet. Quin et, Hepatitide in insulis Britannicis hìc et illìc sporadicè grassantê, ad phlegmasiarum typum multo propiùs ac in morbo regionum calidarum accedente, præsidium ab hoc regimine perseverantiùs petendum est.

Remedia veruntamen quæ regimen hocce constituunt, aut singula aut omnia simul juncta, pro re natâ, in auxilium vocanda sunt. Inter hæc venæsectio locum præcipuum tenet.

Venæsectio.—Sanguinem in specie acutâ curandâ, pro dolore, pyrexiæque gradu, medicum detrahere oportet. Nec a venâ pertundendâ quidem abstinendum est, quamvis dolor obtusus fit, pulsusque aut vi aut frequentiâ parùm augeatur. Caveat medicus tantùm, ne sanguine profusiùs misso, vires ægroto deficiant.

Verumenimverò in regionibus australibus, in terrâ Indiâ continente potissimùm, sanguis manu parciore e brachio mittendus est. Morbo tamen, cum dolore insigni, pyrexiâque vehemente, impetum faciente, hisce etiam

in regionibus, ad usum scalpelli quamprimùm, at cautiùs confugiendum est.

In specie morbi vetustâ, sanguis e brachio detractus rariùs pro ægroto faciet; multisque in exemplis, ei potiùs damno haud parvo est.

Sin autem symptomata exinanitionem ejusmodi, medico reverà suggerant; hirudinibus, cucurbitulisve cruentis cum ferro admotis, e partibus dolentibus sanguinem detrahat.

Epispastica.—Vesicatoria hypochondrio dextro imposita, effectus eosdem ac sanguinis missio, reverà edunt; ideoquè ad hæc, causâ morbi resolutionem promovendi, quam maturrimè decurrendum est.

Usurpationi epispasticorum frequenti medici peritiores haud pauci sanè arrident, hiscum prorsùs sentio, propterea quod, vesicatoriorum successiones per vices, ad organi inflammatione correpti regionem, morbum, citiùs ac humorum detractiones, ope ejusdem epispastici diuturniùs productæ, me judice vincunt.

Diluentia quoque eodem tempore utenda sunt, ne vesicatoria inter sua munera præstanda organis uriniferis noceant.

Fonticulos perpetuos setaceaque hepatis regione infixa, hepatitide laborantibus, haud parum prodesse, sunt qui nos certiores faciunt; detractiones veruntamen illæ, ex usu eorum certiùs erunt, qui specie morbi vetustâ laborant.

Cathartica.—Vasis organi affecti, exinanitionibus, rite sublevatis, hepatitide laborantibus, catharticorum usu optimè succurritur. Ductionem etenim alvi, ad sanguinis in jecore impetum reprimendum, vasaque infarcta patefacienda evacuationum omnium maximè pollere, cum intestina morbi sedi finitima, tum experientia multiplex, nos satìs docent.

Hinc ratio in aprico est quarè purgantia, in hoc morbo ad sanitatem restituendam sæpiùs valent: Et in hepatitide acutâ et in specie morbi chronicâ multum prosunt: et præsertim sub morbi initium adhibita, medici votis sæpiùs respondebunt, sanguinisque de-

tractionis, aliorumve medicamentorum, vicem felicitèr præstabunt.

Verumenimvero cathartica omnia in morbo nostro debellando neutiquàm æquè valent. Sales neutri plerisque aliis jurè anteponendi sunt.

Submuriati autem hydrargyri palmam dare, aliquibus lubet: dosibus granarum trium quatuorve omni quartâ sextâve horâ, pro re natâ, adhibeatur; submuriati in hoc modo adhibito, vires, in hoc morbo profligando, proprias inesse, sunt qui haud inexperti sibi persuasum habent*.

Medicis hisce judicibus, remedium de quo agimus, ductus biliarios potissimùm emulget, bilemque copiosiùs per anum dejicit; ductibus vero viribus submuriatis emulsis, bileque et ob actionem ramorum venæ portæ auctam abundantiùs secretâ, et ob ductum hepaticum et ductum communem choledochum inflammatione correptos, in viscere laborante mor-

* Vide Saunders, Appendix.

bose accumulatâ, expulsâ, hepati plus justo distento succurritur, morbusque medicamini sæpiùs cedit.

Sin autem, submurias hydrargyri alvum citiùs justo subducat, cœptis parum succedet, eâque de causâ, in hoc statu rerum, ratione debitâ, cum opio commisceatur.

Verumenimvero, siquando stomachus in partem mali veniat, (quod in historiâ morbi tradendâ, ut supra ostendimus, haud rarò accidit), ingesta qualiacunque protinùs rejicit, morbumque ac dolorem, ob nauseam conatusque ad vomitum concitandum, et inanes et perpetuos, multum intendit, ideoquè ægrotum admodùm angit. Rebus ita se habentibus, oxidum hydrargyri cinereum Phar. Edin., solutionemve Plenkii, JACOBO CURRY medico Londinensi teste, in locum submuriatis substituere, medicùm penes est*.

Aquae minerales.--Aquas medicinales potandi hepatitide ægrotis, specie morbi vetustâ, præcipue laborantibus, facultate datâ, eâ utan-

* Vide Saunders, App. p. 69.

tur; propterea quod, vires catharticæ in his aquis plerumquè insunt, alvumque leniùs jucundiùsque, utplurimùm cient.

Quin virtutes, in hoc morbo sanando, insignes, quibus sæpiùs præditæ sunt, a potestate alvum fusam tenendi pendeant, nullus equidem dubito.

Locorum horum hilaritatem, hominumque consortium, ad atram bilem expellendam, haud parùm conferre, insuper observandum est.

Hydrargyrus.—Vires speciales in morbis ferè omnibus, quibus hepar laborat, in metallo hocce inesse, medici haud pauci sibi persuasissimum habent; virtutesque ejus eximias, laudibus summis, ad cœlum efferunt. Hi monent, ut in specie morbi acutâ, evacuationibus, sanguinis videlicet detractione, vesicatoriis, catharticisque, in auxilium imprimìs vocatis, vel etiam ab initio ad ejus internum et etiam externum usum decurrere, usquedum glandulæ salivales in motum cientur, spiritûsve fœtor metallo corpus imbutum esse satìs comprobaverint.

In specie morbi longâ, hisce judicibus, ad

hoc remedium quamprimùm decurrendum est; propterea quod, ni falluntur, in hac specie morbi debellandâ, effectus præstantissimos edit. Glandulis salivam secernentibus levitèr motis, ut sua fert opinio, ejus usus pro tempore omittendus est; certis autem intervallis, ad usum remedii, pro re natâ, iterùm confugiendum est.

Verumenimvero, haud pœnitet me eorum sententiæ esse, qui hydrargyri in hoc morbo vires haud tam magni æstimant, præsidiumque ab eo in hepatitide medendo nimìs frequentèr peti, sanè putant.

Morbo, quidem, sive formam acutam sive chronicam induenti, qui Europæos in India Orientali vitam degentes tam sæpissimè tentat, hydrargyri usui, exinanitionibus debitis, in auxilium imprimis vocatis, optimè succurri, fide experientiæ scriptorum, qui medicinam hisce in plagis fecêre, jure habitâ, adducor ut credam. Hisce etenim testibus, præsidium a morbo, medendi ratione sequente, potissimùm petendum est.

Morbo, dolore in hypochondrio dextro, pyrexiâque violentiore, invadente, medici ad usum scalpelli quamprimùm confugiunt, venamque cautiùs pro re natâ pertundunt.

Ad usum catharticorum, in morbo debellando, sempèr decursum est; submuriasque hydrargyri, præsertim si opinioni Doctoris Curry fides danda est, aliis anteferenda est; attamen sales neutri haud raró votis optimè respondebunt.

Quin et, dolore hypochondrii magnoperè urgente, epispastica pro ægroto multum facient.

Exinanitionibus hisce, in usum, per dies duos tresve, pro re natâ, adhibitis, ad auxilium hydrargyri, nullâ ratione ad alvi conditionem habitâ, diarrhœâ, dejectionibusve cruentis, siti urgente, caloreque corporis minimè diminuto, parùm obstantibus, confestìm decurritur; dummodo arteriæ placidiùs micuerint, dolorque mitigationem subierit.

Hypochondrium, unguento hydrargyri, et liberiùs et perseverantiùs, usquè ad morbum frangendum, fricetur, oportet; nisi si viscus

morbo tentatum eat in suppurationem, ante metallum quam effectus debitos in corpus præstiterit. Præparationes hydrargyri quædam aliæ, pillulæ, videlicet, internè adhibitæ, eodem munere, fungentur.

Si in hoc medendi consilio, medicus studiosè pergat, et hepatis suppurationi obstare, et ægrotum in sanitatem redigere, plerisque in exemplis facilè potest.

Metalli usus, ab ægrotorum constitutionibus parùm alienus est: periculum iis aut rarò aut nunquam conflat; saluti quidem plerumque admodum inservit, animumque mirum in modum erigit *.

Verumenimvero in hepatis phlegmasiâ, quæ insularum Britannicarum, regionumque aliarum temperatiorum incolas, hìc et illìc tentat, hydrargyrus effectus eosdem bonos ne sempèr quidem præstat, ideoque manu parciore adhibendus est. Nostrates, etenim, diathesi magis phlogistica sanè præditi sunt, stimu-

* Saunders, App. passim.

lumque metalli hujusce prævalidum, ægriùs igitur, ac illi, qui vitam in India Orientali degunt, certo certiùs ferunt.

Quin et, signa omnia, quæ vasorum incitationem auctam planè denotant, dolor videlicet hypochondrii dextri, manu admotâ, multum auctus, arteriarum pulsus frequentes, validi, durique, calor morbosè accumulatus, potissimumque dolor ad claviculam et summum humeri dextri extendens, in regione hâcce graviùs ac in India Orientali urgent. Hinc causa in promptu est, quare morbus, sanguinis detractionibus, pro re natâ, repetendis, meliùs, citiùs, certiùsque, ac hydrargyri inunctione, medetur.

In morbis hepaticis, cum tuberculis scrophulosis consociatis, affectionibusque jecinoris morbosis aliis, in quibus aut lympha infusa inspissataque, aut inflammatio vetustior, adhæsiones gignens, structuram visceris organicam corrupit, organumve ob partes absorptas extenuationem molem subiit, texturave ejus et laxata et spongiosa evadit, ictero inve-

terato potissimum affectionibus hisce hepatis, se comitem præbente, SAUNDERSERIO in morbis hepatis multum versato, teste fide dignissimo, hydrargyrus aut nunquàm aut rarissimè proderit. Quin e contrà, metallum hocce ægrotorum fata abruperit, cùm regimine debito, medicaminibusque alvum leniùs subducentibus, solutionibus salinis, dilutioribus utique cautiùs adhibitis, aquis Cheltenhamiensibus, aliisve mineralibus, in auxilium vocatis, medicum penes foret, et signa graviora plus minusve sublevare, et ægrotorum vitam producere, medicus hicce expertus nullus dubitat *.

Quin et, in Hepatitide longâ medendâ, ne in Indiâ Orientali quidem, medicus, usu hydrargyri, voti semper compos fit. Doloreque aut in hypochondrium fixo, aut ad scapulam porrigente, sensuque plenitudinis in regione hepaticâ, scrobiculove cordis, molestiam perpetuam gignente, ad auxilium metalli hujus,

* Saunders, ut supra, App. p. 32.

aut incassùm aut parvo cum commodo decurritur. Signa quidem hæcce, viribus metalli deobstruentibus, interdùm cedunt; remedio veruntamèn omisso, promptius iterùm ingruunt.

In hoc statu rerum, ægroti multum utilitatis e fonticulis setaceisque lateri infixis percipiunt *.

Acidum nitrosum.—Acidum hocce, aut vice hydrargyri in syphilitide curanda, interdum fungi, aut saltem manum auxiliarem metallo porrigere, medicis vel plerisque vel omnibus, ni fallor, liquet. Ea de causa, HELENUS SCOTT, M. D., in insula Bombejia medicinam faciens, analogiâ rationali ductus, in malo nostro profligando ad usum hujus acidi confugit; acidumque ritè dilutum, aut dosibus debitis internè adhibitis, aut externe applicatum formâ balnei pro Hepatitide laborantibus, haud raró fecisse, medicus hicce expertus ingeniosusque nos certiores facit †.

---

* Saunders, ibid. loci.

† Vide Beddoes' *Medical Contributions, &c.*

Si morbus de quo tractatur in suppurationem eat, abscessusque partes versus externas manifestiùs promineat, ante pus quam viam sibi ultrò aperuerit, causâ id arte educendi, scalpello tutè uti liceat. Ulceri, quidem, plerisque in exemplis, tardiùs medetur; nec reverà, properato opus est, usquedùm abscessûs cavum granulationibus sanis repletum fuerit. Quinetiam, inter vulnus quamvis diuturniùs sanandum, ægrotus sensîm convalet, tandem vires ei prorsùs reficiuntur: vulnereque conglutinante, vires ægri usu vini modico, victu generosiore, tonicis aliis, rite sustentandæ sunt.

Restat, ut de Diæta Regimineque perpauca in medium proferam.

DIÆTA ET REGIMEN.

Regimen diætaque idonea, ad hunc morbum medendum, plurimum valent; ideoquè et ægroti et medici summam attentionem jure sibi vendicant; propterea quod, ratione ad hæc aut parùm aut perperàm adhibitâ, medicamenta spem nostram non raró destituent.

In Hepatitide acutâ ægrotus plerumque prorsùs a carne abstineat, seque ad frugum, et diluentium, refrigerantium, utique acidorum vegetabilium usum liberiorem recipiat, oportet.

Specie autem morbi longâ tentati, lacte, frugibus, carneque et molli et etiam facili concoctu, utantur; a ferculis autem oleosis, pinguibus, conditioribusque omnibus, peni-

tus abhorreant; liquores spirituosos necnon sedulò evitent.

Verumenimverò hoc morbo correpti, in regiones frigidiores summo cum commodo migrabunt. In sententiam scriptoris recentis manibus pedibusque discessurus sum: "*The*
"*best remedy of them all is, change of climate,*
"*a return to those native and cold regions,*
"*where people hardly know whether they have*
"*livers or not* *."

---

* Irvine's *Observations on Diseases, chiefly as they occur in Sicily.*

FINIS.

CORRIGENDA.

P. 3, l. 4, pro *tumoris* lege *tumore*

P. 7, l. 11, *pro* accessionis *lege* accessiones